GREGORIUS MAGNUS
Admont (?), 12. Jh. Seite 9r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26137
Copyright: Admont, Benediktinerstift



& stelle cadent de celo. & uirtutes celorum commouebuntur. que mens erit
hominis. eterni iudicis sententiam non formidantis. Ibi enim tunc simul
cuncta peccata ante occulos redeunt. ibi omnia que cum delectacione acta
sunt. ad memoriam cum pauore reuocantur. ibi caligo cogitacionis misere
ex pena proxime dampnationis erit. Unde & subditur. & nubes magna.
Tunc quippe ex peccatorum memoria sensum mentis deprimit caligo cecita
tis. cum unigenitum dei filium. in forma diuinitatis conspicere reprobi non permit
tuntur. Uidebunt enim in quem transfixerunt. & tollatur impius ne uideat gloriam
dei. Ubi & aperte subditur. & ignis inuoluens. quia uidelicet ignis ille iudicii
qui celum aereum & terram concremat. peccatores iam in sua superbia non permittet eri
gi. sed inuoluet. quos procul dubio in pene sue dampnatione constrin
git. Et splendor in circuitu eius. quia sicut fulgur exit ab oriente. &
paret usque ad occidentem. ita erit aduentus filii hominis. Ubi nullus tunc
a iudicio in sua mente latere permittitur. quia ipso fulgore iudicis pene
tratur. De quo mox iudice subditur. Et de medio eius quasi species electri. id
est de medio ignis. Ipse enim angelis. atque archangelis. omnibusque uirtutibus
presidens redemptor noster. qui uelut in electri similitudine. unus ex utraque
& in utraque nutura & deus permansit cum patre. & ad redemptionem nostram
factus est mortalis cum hominibus. in suo tunc terrore uidebitur. eique ignis iu
dicii in reproborum uindicta famulatur. Hinc enim scriptum est. Dies domini de
clarabit. quia in igne reuelabitur. Hinc psalmista ait. Deus manifestus
ueniet. deus noster & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit. & in circuitu
eius tempestas ualida. Hinc petrus apostolus ait. Aduenient dies domini ut fur. in
quo celi impetu magno transeunt. elementa uero ignis calore soluentur. Et
quia tunc sancti omnes qui mundum reliquerunt. iudices aduenient. aperte
mox subditur. Et in medio eius similitudo quatuor animalium. Quid enim
per quatuor animalia. nisi quatuor euangeliste signantur. Hec in meri
to per euangelistas. iiii. perfectorum numerus omnium exprimitur. quia
omnes qui in ecclesia modo perfecti sunt. perfectionis sue rectitudinem per eorum euangelium
didicerunt. De medio enim eius similitudo quatuor animalium. quia illi tunc
eius corpori uniti. eius maiestati coniuncti. & simul facti cum eo iudices uide
buntur. qui modo perfecta opera. iuxta euangelica precepta secuti sunt. Hinc est enim
quod ipsis sanctis apostolis dicitur. Uos qui secuti estis me in regeneratione